gravior redditur sonus. Nam ut tarditas proxima stationi est, ita gravitas contigua
taciturnitati. velox vero motus acutam voculam praestat. Praeterea quae gravis est, in
tentione crescit ad medium. Quae vero acuta, remissione decrescit ad medium. Unde
fit ut omnis sonus quasi ex quibusdam partibus compositus esse videatur. Omnis autem
partium coniunctio quadam proportione committitur. Sonorum igitur coniunctio
proportionibus constituta est. Proportiones autem principaliter in numeris considerentur.
Proportio autem simplex numerorum vel in multiplicibus est vel in superparticularibus
vel in superpartientibus invenitur. Secundum multiplices vero proportiones vel superparti
culares consonae vel dissonae voces exaudiuntur. consonae quidem sunt quae simul
pulsae suavem permixtumque inter se coniungunt sonum. Dissonae vero quae simul
pulsae non reddunt suavem neque permixtum sonum. His igitur ita praedictis de proportionibus
pauca dicamus. DIVERSE DE INTERVALLIS SPECULATIONES.

Si intervallum multiplex binario multiplicetur, id quod fit ex hac multiplicatione inter
vallum multiplex est. Sit multiplex intervallum B C et B multiplex eius quod est C
et fiat ut est C ad B ita B ad D. Quoniam igitur B multiplex est eius quod est C, metitur C
terminus id quod est B vel bis vel tertio vel deinceps; ac est ut C ad B ita B ad D. Metitur
igitur B terminus id quod est D. quocirca etiam C terminus id quod est D metitur
B idque multiplex est igitur D eius quod est C. et est DC intervallum effectum ex com
posito bis copulatio quae sibimet et per binarium multiplicato BC intervallo. In numeris
quoque idem probatur. Sit enim B ad C duplum ut binarius ad unitatem. et fiat ut C ad B
ita B ad D. Erit igitur D quaternarius. Multiplex autem est B ad C id est binarius
ad unitatem. Multiplex igitur est D quaternarius ad C unitatem. Est enim quadruplus
quaternarius unitatis et binario multiplicata medietas quod est intervallum BC.